

Primo. Quid sit virginitas. Secundo. Utrum sit virtus. Tertio. De comparatione eius ad alias virtutes.

ARTICULUS I.

Utrum virginitas sit perpetua meditatio incorruptionis in carne corruptibili.

2. 2. quast. CLII. art. 1. ad 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod virginitas non sit in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, ut Augustinus dicit in Lib. de nuptiis & concupiscentia, cap. xlii. Quia post resurrectionem sanctae virgines suam virginitatem non amittent. Sed tunc non erunt in carne corruptibili. Ergo corruptibilitas carnis non debet poni in diffinitione virginitatis.

2. Præterea. Virginitas ponitur pars continentiae, quæ ad temperantiam reducitur. Sed meditatio non est actus temperantiae, sed magis intellectualium virtutum. Ergo non debet poni tamquam genus virginitatis.

3. Præterea. Virginitas non est firmiter bonum quam charitas, aut alia virtutes, immo magis fragile. Sed perpetuitas non est de ratione charitatis: alias charitatem semel habitam non contingeret amittere; quod in III. Lib. dist. xxxi. quast. 1. art. 1. improbatum est. Ergo nec perpetuitas in diffinitione virginitatis poni debet.

4. Præterea. Incorruptionis perpetua meditatio tollitur per corruptionem mentis, de qua dicitur Matth. v. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mechatus est eam in corde suo. Sed per hoc non tollitur virginitas: quia talis corruptio reparari potest, non autem virginitas, ut in littera dicitur. Ergo virginitas non est perpetua incorruptionis meditatio.

5. Præterea. Perpetua incorruptionis meditatio sine concubitu perditur non solum mente, sed etiam carne, sicut patet in peccatis contra naturam. Sed sine concubitu virginitas non perditur: quia, ut Augustinus dicit in Libro de virginitate, cap. xlii. Virginitas est per piam continentiam ab omni concubitu immunitas. Ergo idem quod prius.

6. Præterea. Ambrosius dicit in Lib. de virginitate, vel Lib. I. de virginibus cap. iv. quod virginitas est expers contagionis integritas. Sed contaminatur corpus per pollutionem nocturnam. Ergo virginitas secundum hoc amittitur; non autem perpetua incorruptionis meditatio perditur: ergo &c.

7. Præterea. Virginitas potest per violentiam auferri: alias ille qui contraheret cum illa quæ per violentiam ab alio defloratur, non efficeretur irregularis. Non autem perpetua (1) incorruptionis meditatio. Ergo idem quod prius.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod virginitas, ut ex dictis Ambrosii patet, integritas quædam est: unde per privationem corruptionis dicitur, quæ in actu generationis accedit, ubi triplex corruptio est. Una corporalis tantum, in hoc quod claustra pudoris franguntur. Alia spiritualis, & corporalis simul ex hoc quod per decisionem, & motum seminis in sensu delectatio generatur. Tertia est spiritualis tantum ex hoc quod

(1) Al. carnis mediatio. (2) Al. & opposita eius. (3) Al. actum prohibitum. (4) Al. quod.

ratio huic delectationi se subicit, in qua integritatem perdit quantum ad actum: quia impossibile est aliquid intelligere in ipsa, ut Philosophus dicit in Libro VII. Ethicor. cap. xi. vel xlii. unde ipsa rationis absortio corruptio dicitur. Hæc autem tenia corruptio non est rationis actus, sed quædam passio, per accidens ei conveniens ex passione inferioris partis, sicut per somnum, vel phrænesim, & alias passiones corporales contingit rationis actum impediri per accidens. Cum ergo virtus, & viciū in actu rationis consentientis, & dissentientis perficiatur; in omnibus prædictis corruptionibus non invenitur sufficiens ratio vitii, aut virtutis; sed oportet addere rationis consensum, vel dissensum. Et quia virginitas in genere moris est pertinens ad virtutem, ideo dicit Lucia, quod non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, iniquatione scilicet quæ virginitatis puritati opponitur. Prima ergo corruptio, quæ est corporalis tantum, non est materia virtutis, vel vitii, nisi per accidens mediante aliqua animæ passione: unde si per aliquam incisionem claustra pudoris rumpantur, non majus detrimentum virginitati inerit quam si pes, aut manus gladio incidere-tur. Sed secunda, & tertia corruptio sunt materia virginitatis, (2) & opposita eius, sicut & alia passionis animæ sunt materia virtutum moralium, & oppositorum vitiorum. Sed in actu rationis eligentis, vel repudiantis corruptiones prædictas finaliter perficitur inquinatio quam virginitas privat, & per consequens ipsa virginitas; & ideo Augustinus in diffinitione prædicta posuit hoc quod ex parte rationis se habet, scilicet meditationem, quasi virginitatis genus, ponens (3) actum pro habitu, sicut frequenter fieri solet; incorruptionem autem posuit quasi obiectum, sive materiam; sed addit subjectum determinatum per hoc quod dicit, In carne corruptibili: quia privatio, & habitus nata sunt fieri circa idem.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis post resurrectionem sancti carnis corruptionem non habeant, habent tamen naturam carnis, quæ corruptibilis fuit: & ideo in eis esse poterit virginitas sicut in subjecto; non autem in Angelis, in quibus corruptio quam virginitas privat, nata esse non fuit: & præcipue hoc ad rationem virginitatis sufficit, (4) quæ non solum respicit quod præsens est, sed quod præteritum est. Non enim est virgo ex hoc solum quod non corrumpitur, sed ex hoc est etiam quod nunquam corrupta fuit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis actus moralis virtutis in voluntate perficiatur, tamen ratio formam virtutis in ea ponit, ut dicitur in VI. Ethicorum, cap. xviii. & ideo quidam Socratici omnes virtutes scientias dicebant: & hoc modo loquendi utitur hic Augustinus meditationem pro electione ponens.

Ad tertium dicendum, quod in actu virtutis non solum requiritur discretio ex parte rationis, sed etiam firmitas quædam ex habitu inclinante ad actum per modum naturæ. Et sicut causæ naturales, quantum est de se, ordinatæ sunt immobiliter ad effectus proprios; ratione cuius dicere possumus, Lapis perpetuo descendit deorsum, quamvis hoc quandoque impediri possit: ita & habitus virtutis, quantum est de se, immobiliter ordinatur ad actum proprium, quamvis quandoque habens actum virtutis contrarium agat: & ratione perpetuæ immobilitatis consuevit poni perpetuum in diffinitionibus virtutum, sicut in princ.

princ. Digestorum dicitur, quod iustitia est constans & perpetua voluntas: & sic etiam Augustinus ponit perpetuum in diffinitione virginitatis, quamvis virginitatem quandoque habentes, eam amittant, ut sic in prædicta diffinitione discretio electionis, quæ est actus virginitatis, secundum quod ad genus pertinet moris, ex meditatione intelligatur, sed immobilitas ex perpetuitate.

Ad quartum dicendum, quod corruptio mentis, ut ex dictis accipi potest, est duplex. Una quæ est quasi passio mentis, quando mens subditur delectationi quæ in coitu solet accidere: & quia hæc delectatio completur in seminis disillatione, ideo talis corruptio mentis non potest accidere sine aliqua corruptione carnis, quæ dicta est fieri per seminis decisionem. Alia autem est corruptio mentis, quæ est actus ejus, scilicet consensus, aut electio prædictæ corruptionis. Sed quia vires inferiores sequuntur motum superiorum, ideo quandoque contingit quod ex actu mentis cogitantis de corruptione carnis, & intendens delectationem ipsius experiri, calor excitatur in corpore, & semen distillat, & causatur delectatio, quæ mens suffocatur sicut in coitu; & tunc absque dubio virginitas est amissa. Si autem corruptio sistat in actu mentis consentientis, amittitur quidem virginitas secundum illud formale quod habet in mente, non autem ratione ejus quod est materiale in ipsa: unde talis non potest dici virgo nisi materialiter. Et ideo hæc virginitatis amissio potest recuperari, non autem illa virginitatis amissio in qua etiam illud quod est materiale subtrahitur: quia virginitas ex parte sui actus respicit tantum præsens, aut futurum, sicut est in qualibet virtute: electio enim aut præsens, aut futurum respicit, non autem præteritum: sed ex parte materiæ non solum præsens, sed præteritum respicit. Dicitur enim virgo quæ elegit incorruptionem, quæ est materialis in virginitate, quam nunquam amisit, & habere, & conservare intendit. Non autem exigitur quod nunquam contrariam electionem habuerit, sed quod nunquam contrariam corruptionem. Ex hoc autem virginitas amissa recuperari non potest, quia illud quod in præteritum tansit, recuperari non potest.

Ad quintum dicendum, quod illa quæ sine concubitu se corrumpunt, non est dubium quod virginitatem amittunt, etiam quantum ad id quod est materiale in ipsa: quia etsi concubitus non adsit, adest tamen delectatio, quæ in concubitu corruptionem virginitatis facit. Si autem luxuria contra naturam tempus perfectæ ætatis præveniat, cum non adsit seminis decisio, & per consequens nec delectatio completa mentem suffocans, non amittitur virginitas quantum ad id quod est materiale in ipsa.

Ad sextum dicendum, quod passionis partis sensitiva non possunt esse materia virtutis, nisi secundum quod sunt ordinabiles à ratione in eis medium ponente, prout concupiscibilis, & irascibilis obediunt rationi: & ideo delectatio quæ in somnis accidit cum seminis decisione, non est materia virtutis: & propter hoc nec talis corruptio incorruptionem tollit, quæ est virginitatis materia: & ideo ratione talis pollutionis virginitas non perditur. Et similis ratio est de mulieribus quæ dormientes, & inebriatæ, aut amentes à viris cognoscuntur, nisi forte hac intentione dormitum irent, ut à viro cognoscerentur.

Ad septimum dicendum, quod illud cujus prin-

cipium totaliter est extra, non est ordinabile à ratione: & ideo eadem ratione nec illa quæ per violentiam corrumpuntur sive ab homine, sive à dæmone incubo, virginitatem amittunt, si quantum possunt renitentur, ut conservent corpus à corruptione immune, vel saltem mentem contrariam consensui. Quia tamen in significationibus sacramentorum magis attenditur quod exterius geritur quam quod interius fit, irregularitas quæ ex defectu significationis in sacramento causatur, nihilominus induceretur in illum qui virginem defloratam violenter duceret in uxorem: & præcipue cum propter delectationem nimiam ratio in actu illo suffocetur, difficillimum est tali delectationi dissentire in statu illo: & ideo præsumptio videtur esse quod consenserit.

ARTICULUS II.

Utrum virginitas sit virtus.

2. 2. quast. CLII. art. 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod virginitas non sit virtus. Omnis enim virtus consistit in medio. Sed virginitas non consistit in medio, sed maxime in extremo: quia consistit in abstinendo ab omni delectabili, circa quod est castitas. Ergo non est virtus.

2. Præterea. Virtutum usus, cum sit de jure naturali, omni tempore licuerunt. Sed in statu naturæ conditæ non licuisset virginitatem servare, quia esset contra præceptum, ut habetur Gen. i. 28. Crescite, & multiplicamini: similiter nec tempore legis Moysi, quando qui non relinquebat semen super terram, maledictioni legis subiacebat. Ergo virginitas non est virtus.

3. Præterea. Nulla virtus est quæ amitti possit sine peccato, & quæ per penitentiam non recuperetur. Sed virginitas amittitur sine peccato in actu matrimoniali, nec per penitentiam potest recuperari. Ergo non est virtus.

4. Præterea. Omnis virtus est habitus acquisitus, vel infusus. Sed virginitas est in illis qui non habent aliquem habitum acquisitum, vel infusum, sicut in pueris non baptizatis. Ergo non est virtus.

5. Præterea. Omnis virtus ordinatur ad actum aliquem. Non autem virginitas, sed magis importat privationem actus. Ergo non est virtus.

6. Præterea. Qui habet unam virtutem, habet omnes. Sed qui caret virginitate, quandoque habet alias virtutes. Ergo virginitas non est virtus.

7. Præterea. Virtute nullus male utitur. Sed virginitate aliquis male utitur, ut patet de virginibus fatuis, Matth. xxv. Ergo non est virtus.

8. Præterea. Continentia virginalis dividitur contra matrimonialem, & vidualem. Sed matrimonium non ponitur virtus, neque viduitas. Ergo neque virginitas est virtus.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. vii. 7. Unusquisque proprium domum habet ex Deo: & loquitur de virginitate. Dona autem Dei spiritualia virtutes sunt. Ergo virginitas est virtus.

Præterea. Ambrosius dicit in Lib. de virginitate in proemio. Invitat (1) virginitatis amor ut de virginitate aliquid dicamus, ne velut transitu quodam præterita videatur quæ principalis est virtus.

(1) Nicolajus ex Ambrosio: Invitat nunc integritatis amor ut aliquid de virginitate dicamus, ne velut transitu quodam præterita videatur &c.

Præterea. Nihil meretur præmium nisi virtus. Sed virginitati debetur præmium, scilicet fructus centessimus, ut Sancti dicunt, & aureola. Ergo est virtus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut dationes, & sumptus sunt materia liberalitatis, ita delectationes in venereis sunt materia castitatis, & continentiae. In genere autem dationum magnitudo sumptuum exigit specialem virtutem, quæ magnificentia vocatur propter sui difficultatem. Et quia temperantia, vel castitas in cohibendis delectationibus magnam habet difficultatem, ideo illud quod est præcipuum in ista materia, maximam habens difficultatem, scilicet ab omni corruptione carnalis delectationis immunitas, specialem virtutem exigit, quæ virginitas dicitur; unde si virginitas pro sui completa ratione, ut dictum est, accipiatur, sic virginitas est specialis virtus: sic enim nihil aliud importat quam electionem conservandi incorruptionem; & hæc electio, si sit perfecta, ex aliquo habitu virtutis procedere debet. Tamen virginitas super hoc ponit statum virtutis, in quo habitus in actum exire possit. Non autem potest exire in actum electionis incorruptionem servandi, nisi sit incorrupta: quia electio impossibile non est: impossibile autem est incorruptionem amissam recuperare. Sed materiam magnificentiae amissam possibile est recuperare; & quantum ad hoc est dissimile de magnificentia, & virginitate. Alii autem dicunt, quod virginitas non nominat virtutem, sed statum perfectum virtutis: & hac ratione Sancti quandoque eam virtutem nominant: & secundum hanc opinionem facile est respondere ad objecta.

Ad primum ergo dicendum, quod apud Theologos, ut quidam dicunt, virtus non semper est in medio. Sed hoc dicentes ignorant quid sit medium virtutis. Cum enim medium virtutis accipiatur secundum rationem rectam, si aliquid non sit in medio, non est secundum rationem rectam; & sic non potest esse laudabile, neque virtuosum. Et ideo dicendum est, quod virginitas est in medio rationis rectæ: quod quidem medium non accipitur semper secundum quantitatem ejus circa quod est virtus, quæ quantitas est inter superfluum & diminutum, cum sint aliquæ virtutes quæ perveniunt ad maximam quantitatem in propria materia, sicut nullus majoribus se dignificat quam magnanimus, nec aliquis majores sumptus facit quam magnificus, ut patet in IV. Ethic. cap. VII. vel VIII. sed accipitur secundum proportionem omnium circumstantiarum ventientium actum: & sic ille qui maxima dona dat, in medio consistit in eo quod mediocritas servatur in dando cui debet, & quod debet, & propter quod debet; & superfluum est in eo quod datur ubi non debet, vel propter quod non debet, etiam si majora dentur. Similiter etiam virginitas quamvis sit in ultimo extremi quantum ad id circa quod est, quia ab omni corruptente delectatione abstinet; tamen est in medio, in quantum alias debitas circumstantias mediocriter servat: & superfluum esset, si aliquis servare vellet virginitatem quando non deberet, sicut tempore legis Moysi; vel propter quod non deberet, sicut virgines vestales; & similiter secundum alias circumstantias.

(1) Al. facit.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est, medium virtutis accipitur secundum proportionem circumstantiarum ad rationem rectam: & quia tempus est una de circumstantiis, non est inconveniens aliquid esse licitum uno tempore quod est licitum, vel virtuosum, si alio tempore fiat: & ideo si in tempore quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini homines operi conjugaliter insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem servasset, fuisset in extremo diminutionis: quia abstinisset à delectabili omni, quando non debuisset: sed postea facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum sufficienti, non peccasset virginitatem servans etiam in lege Moysi, vel in statu naturæ integræ, si homo non peccasset: nec fecisset contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios, sed supra præceptum.

Ad tertium dicendum, quod status ille virtutis quo virtus in actum suum exire possit, potest amitti sine peccato, & cum peccato indifferenter: tamen recuperatur per penitentiam; sicut aliquis ditissimus magnificus potest dare omnia sua pauperibus, & sic sine peccato suo ei eveniret quod in actum exteriori virtutis exire non poterit. Si autem in turpes usus facultates suas consumat, hoc erit cum peccato; nec tamen per penitentiam statum primum recuperabit. Et ideo virginitas, quæ statum illud (1) dicit virtutis, in quo virtus potest exire in actum, & per peccatum amittitur in fornicatione, & sine peccato in actu matrimoniali; nec unquam per penitentiam recuperatur.

Ad quartum dicendum, quod illud quod est materia virginitatis, potest esse in illis qui nullum habitum virtutis habent, sicut in pueris ante baptismum, in quibus est primus virginitatis gradus quem natura dedit, & sicut in illis qui ad tempus incorruptionem prædictam servare volunt, tamen cum proposito nubendi suo tempore, qui habent secundum virginitatis gradum, nec tamen dicuntur virgines nisi materialiter. Sed completa ratio virginitatis, prout est virtus, non est nisi in illis qui habent electionem conservandi integritatem hæcenus custoditam usque in finem, sive sine voto, vel cum voto; & hæc electio perfecta esse non potest sine habitu informante ipsam. Si autem sit informis, erit actus virtutis sicut virtutem præcedens, sicut & de aliis actibus virtutum contingit.

Ad quintum dicendum, quod temperantia, sicut in III. Lib. dist. xxxiii. quæst. 111. art. 2. quæstione. 1. dictum est, principaliter consistit in cohibendo delectationes: unde de principali intentione sua habet quemdam actum interiorem, scilicet electionem refrænanandi concupiscentias; sed exteriori non habet quantum ad id quod est principale in ipsa nisi per accidens, & ex consequenti, in hoc scilicet quod aliquos actus exteriores adhibet ad cohibendum à delectationibus, quos magis imperat quam elicit, sicut recedendo ab aspectibus concupiscentibus: uti enim delectationibus secundum mensuram rationis est de secundaria intentione temperantiae. Et quia virginitas est principalissimum in temperantia, ideo non habet actum exteriori nisi ex consequenti; sed omnino usum exteriori concupiscentiæ cohibet.

Ad sextum dicendum, quod ille qui habet unam virtutem, habet aliquo modo omnes, non tamen quantum ad omne id quod est in virtute, sicut qui

qui habet liberalitatem, quandoque non habet magnificentiam quantum ad statum illum quo possit exire in actum exteriori; & similiter qui habet temperantiam, non habet statum quem virginitas (1) dicit, propter imperfectionem; quamvis habeat id quod facit rationem virtutis in virginitate: sicut è contrario propter perfectionem Christus habet charitatem, non tamen fidem, propter statum imperfectionis quem fides importat, etsi habeat quiddam est perfectionis, & virtuositatis in fide.

Ad septimum dicendum, quod materia virginitatis, quam fatuæ virgines habere possunt, aliquis male utitur, non autem virginitate accepta secundum suam completam rationem.

Ad octavum dicendum quod viduitas, & matrimonium non important aliquem alterum gradum circa materiam temperantiae, sicut virginitas: unde non est similis ratio.

ARTICULUS III.

Utrum virginitas major sit omnibus virtutibus.

2. 2. quæst. CLII. art. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod virginitas major sit omnibus virtutibus. Decor enim est de ratione virtutis. Sed virginitatis decor est maximus. Ergo ipsa est maxima virtutum. Probatio mediæ. Ambrosius in Lib. de virginitate cap. IV. dicit: *Pulchritudinem quis potest majorem estimare decore ejus, scilicet virginis, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec dampnum pudor? Hæc autem perfecte vera pulchritudo est cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino: Tota formosa es, &c.*

2. Præterea. Cyprianus dicit (in tract. de habitu virginum pene in princ.) *Nunc nobis ad virgines sermo est: quarum quo sublimior gloria est, major cura. Flos est ille ecclesiastici germenis, decus atque ornamentum gratia spiritualis, illustrior portio gregis Christi.* Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Majus præmium majori virtuti debetur. Sed virginitati debetur maximum præmium, scilicet fructus centessimus, & aureola. Ergo &c.

4. Præterea. Maxima dignitas virtutum est quod per eas Deo conjungimur. Sed propinquissime Deo conjungit virginitas: quia incorruptio facit esse proximum Deo, ut dicitur Sapient. V. & in Apoc. cap. XIV. dicitur, quod virgines sequentur agnum quocumque ierit. Ergo est maxima virtutum.

5. Sed contra est quod in littera dicitur, quod cælibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahamæ.

6. Præterea. Bernardus dicit super Evangelium, *Missus est, hom. 111. quod plus placuit (Deo scilicet) humilitas Mariæ, quam ipsius virginitas.* Ergo virginitas non est maxima virtutum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod una virtus & quantum ad actum, & quantum ad habitum potest dici excellentior alia dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se quidem mensuratur actus virtutum ex ratione objecti sui, ex quo speciem habent; sed per accidens ex parte subjecti, sicut actus etiam in par-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. facit. (2) Al. corporale ut corporali adjunctum. (3) Al. enumerari. (4) Al. summam decoris.

vis rebus dicitur melior, si fiat ex magis prompta voluntate, vel tempore magis opportuno, & aliis infinitis modis: quia causæ per accidens infinitæ sunt, & propter hoc relinquuntur ab arte. Unde hac comparatione ommissa, sciendum est quod cum bonum spirituale sit nobilius, & melius quam bonum corporale, virtutes illæ quæ habent pro objecto bonum spirituale, sunt simpliciter meliores quam illæ quæ habent aliquod (2) corporale adjunctum: & ideo virtutes intellectuales, & theologice sunt digniores quam virtutes morales, quæ sunt circa actus, & passiones aliquo modo corporales: & inter virtutes morales, illa per se loquendo est melior quæ magis appropinquat ad prædictas; quæ quidem appropinquatio potest attendi dupliciter. Uno modo quantum ad convenientiam subjecti, & dignissima: & sic justitia, quæ est in voluntate, est propinquissima: & post hoc fortitudo, quæ est in irascibili, quæ est quasi quoddam confinium rationis, & sensualitatis, ut in III. Lib. dist. xxvi. quæst. 1. art. 1. in corp. dictum est; & ultimo temperantia, quæ est in concupiscibili. Alio modo potest attendi propinquitas virtutis moralis ad intellectuales prout disponit ad ipsam; & sic inter omnes morales propinquissima est temperantia, quia per delectationes, quæ sunt ejus materia, maxime nata est ratio (3) enervari; & inter partes temperantiae præcipue castitas, quia in delectationibus circa quas est ratio totaliter obruitur. Unde Commentator dicit in VII. Physic. com. xx. quod castitas maxime valet ad scientias speculativas; & in genere castitatis præcipue virginitas. Sic ergo dicendum est, quod virginitas non est dignior omnibus aliis virtutibus; sed est dignior aliquo modo omnibus virtutibus moralibus, & simpliciter, & per se loquendo omnibus speciebus temperantiae.

Ad primum ergo dicendum, quod delectationes circa quas est temperantia, sunt turpissimæ, ut in VII. Ethic. patet, cap. 11. eo quod sunt in communibus nobis & brutis: unde temperantia, quæ hæc cohibet, præcipue vindicat sibi pulchritudinem communem omnibus virtutibus, sicut fortitudo vindicat sibi difficultatem, justitia rectitudinem: & propter hoc virginitas, quæ est summus temperantiae gradus, (4) summum decorem sibi vindicat; non tamen sequitur quod sit dignissima virtus.

Ad secundum dicendum, quod omnia verba prædicta Cypriani, quæ excellentiam ostendunt virginitatis, pertinent ad pulchritudinem: unde eodem modo dicendum est sicut ad primum. Vel dicendum, quod virgines habent cum virginitate alias virtutes; alii autem non habent virginitatem cum aliis virtutibus; & ideo non est eadem ratio comparandi virginitatem cum aliis virtutibus, & virgines aliis omnibus.

Ad tertium dicendum, quod aureola est præmium accidentale, & fructus similiter. Præmium autem essentialiter est dignius accidentali: ideo, simpliciter loquendo, illæ virtutes sunt potiores quibus majus præmium essentialiter debetur: præmium autem accidentale non tam respicit virtutis radicem quam statum virtutis. Et præterea aureola non solum virginibus debetur, sed & martyribus, & doctoribus; fructus autem soli continentiae debetur, in qua summum locum tenet virginitas: quia per continentiam reprimuntur illæ delectationes quæ maxime gustum spiritualis dulcedinis impediunt, quem fructus suo nomine importat.

(1) P. in III. Lib. dist. xxvi. quæst. 1. art. 1. in corp. dictum est.